Q. D. B. V

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE REGIO

FRIDERICO AVGVSTO

DE

ΑΥΛΗΤΑΙΣ

SIVE

TIBICINIBVS

IN FVNERE ADHIBITIS

AD

ILLVSTRANDVM MATTHAEI CAP. IX COMMA XXIII

PRO LOCO

In Amplissimo Sapientum Ordine sibi dato

disputabit

PRAESES

M. IO. ZACHARIAS HILLIGER

CHEMNICENSIS

RESPONDENTE

GODOFREDO IASPIDE

CHEMNICENSI

Ad d. IX Febr. A. R. S. cIↃ Iↄ CCXVII

H. L. Q. C

VVITEBERGAE Typis CHRISTIANI SCHROEDERI Acad. Typ




WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

SVMMA

Procemium perſtringit Iudaeorum ritus quoſdam publicos, in funere, uſitatos

CAPUT I
De
Tibicinibus generatim

§ I De origine τοῦ ἀυλητοῦ,
§ II ſignificatione τοῦ ἀυλοῦ, ſeu tibiae,
§ III huius diuerſa materia,
§ IV forma uaria,
§ V Iubale, tibiarum primarum, harumque concentus, inuentore,
§ VI Graecorum,
§ VII Syrorum, atque
§ IIX Romanorum, in arte tibias apte inflandi, ſtudio,
§ IX tibiarum uſu, in bello, ſacris, nuptiis, aliisque conuentibus,
§ X ſpeciatim in funere

CAPVT II
De
Origine Tibicinum in funere

§ I De initiis ritus,
§ II non Hebraeorum antiquorum propriis, contra Chytraeum, Grotium, et Doughtaeum, perperam affirmantes,

 § III

CAPVT III
De Rationibus, cur Tibicines in funere sint adhibiti

PROOEMIVM



I quando unquam gens, in condendis hominum corporibus, diuerſis ritibus operam dedit, Iudaica profecto horum fuit perſtudioſa. Quorum alii funeris elationem antecedere, alii cum eadem coniungi, alii illam conſequi, conſueuerunt. Antegredi ſolebat primo laceratio veſtium, ab adſtantibus, ſimul ac aegrotus animam efflauerat, facta, (a) deinde lotio funeris, cum oculorum, ac oris, forte hiantis, compreſſione, (b) tum unctio aromatibus inſtituta, quae, in ipſius Seruatoris corpore, peragebatur, (c) poſtea cura, de amiciendo, uel inuoluendo, mortuo, ne nudus ſub aſpectum ſubiiceretur, cuius, pari modo, in Chriſti, (d) Lazari, (e) aliorumque ſepultura, ratio eſt habita, porro, collocatio funeris in certa domus parte, ad aliquot dies, ut uolentibus funus inſpicere aditus pateret, (f) poſtremo, indictio per tibicines facta (g). Haec excipie-

a) *vide Diſſertationem meam A. 1716. editam.* b) *Act. IX. 37. exemplo Tabithae. v. Buxtorfi* Synag. Iud. cap. 35. c) *Ioh. XIX, 40. v. Fulleri* Miſcell. Lib. 6. d) *cit. l.* e) *Ioh. XI, 44. v. Dilberri* Diſput. Acad. *P. I. p. m. 449.* f) *Act. IX, 37.* g) *Matth. IX, 23.*

bat ἐκφορὰ, ſiue deductio funeris (h), quod comitabantur primo tibicines ipſi praeeundo, deinde praeficae, ſiue lamentatrices, naenias canentes, tum ad tibias (i) tum ſine tibiis (k), poſtea, humeris feretrum geſtantes, (l) porro, exequiatores, ac, inter eos, praeſertim cognati et amici, (m) denique inferentes cadauer in ſepulcrum, extra moenia plerumque conſtructum (n). Sepulturam conſequebantur funebris laudatio (o), coena feralis, a Romanis *ſilicernium* dicta (p), moerentium conſolatio (q), epitaphia (r), frequens ſepulcri aditus (s). In quibus ediſſerendis Io. Steph. Menochius (t), Io. Andr. Quenſtedius (u), Mart. Geierus (x), et alii, antiquitatum Hebraicarum indagatores ſolertiſſimi, quamuis generatim tantum operae poſuerint, ut nihil ſupra, attamen, cum in ſingulis ſpeciatim Hebraeorum ritibus

---

h) *Luc. VII, 12.* i) *Matth. IX, 23.* k) *2. Chron. XXXV, 25. Ier. IX, 16.* l) *Luc. VII, 14. Act. V, 6.* v. Diſput. Gieſſ. Tom. VI. Diſp. XIII. *p. 197. ſqq.* m) *Luc. VII. 12.* n) *Gen. XXIII, 19. Ioh. XI, 30. 31.* o) *2. Sam. I, 17. ſqq. 2. Chron. XXXV, 25. v. Ioh. Stephan. Menochii Remp. Ebr. L. VIII. p. 778.* p) *2. Sam. III, 35. Ezech. XXIV, 22. Hoſ. IX, 4. v. Feſſelii* Aduerſaria S. q) *Gen. XXXVII, 35. 1. Par. VIII, 22. Ioh. XI, 31. v. Mart. Geieri* Tr. de Luctu Ebraeorum *C. 6. §. 23.* r) *Gen. XXXV, 20. 2. Sam. XVIII, 18. Luc. XI, 47, 48. Vid. Sopranis* David. Digreſſ. 2. *f. 519.* s) *Ioh. XI. 31.* t) *cit. l.* u) *in libro, de* Sepultura ueterum. x) *cit. l.*

ritibus, quatenus ad ſepulturam ſpectant, laudatis modo uiris, pro inſtituti forma, hærere diutius, ac commorari, haud licuerit, nullus uitio dabit, ſi ritum quendam ſacrum mihi explicandum ſumam, et ΑΥΛΗΤΑΣ, ſiue TIBICINES, pompam funebrem praecedentes, in medium producens, non omnino nullis expediam difficultatibus oraculum, quod apud Matthaeum, c. IX, com. 23, hunc in modum legitur, Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς ΑΥΛΗΤΑΣ, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον. Interpretatio Latina Sebaſt. Schmidii ita habet: *Poſtea ueniens Ieſus in domum principis, uidensque auletas, et populum tumultuantem*, reliqua. Id vero operam dabo, ut, tribus capitibus, res conficiatur, quorum primum, de *Tibicinibus* univerſe, alterum de ipſorum in funere *origine*, tertium de *rationibus*, cur tibicines ibi ſint adhibiti, commentabitur. Cui tractationi ut Deus O. M. propitius adſit, fortunetque conatus, pie ipſum obteſtor.

CAPVT I
De
TIBICINIBVS generatim

§. I

DE αὐλητταῖς, ſiue tibicinibus, ad Matthaei C. IX,

com.

com, 23 pauca traditurus, in reliquis eiusdem uerbis non morabor explanandis, sed, quae de αὐλητοῦ uoce, intellectu difficillima, notanda erunt, proponam. Eam uero non minus, quam alias, uelut αὐλωτὸς, *tibiis instructus*, αὔλημα, *carmen ad tibiarum sonum*, φίλαυλος, *amans tibiarum cantus*, ἀπὸ τοῦ αὐλοῦ duci, in uulgus notum est, (a) ut adeo αὐλητὴς, ratione ἐτυμολογίας, artificem, tibiis canentem, seu utentem, designet.

§. II.

Αὐλὸς autem fuit instrumentum musicum, ab ἄω, *flo*, uel ἄυω, *clamo*, ortum, quod inflatum edidit sonum, et, apud Athenaeum, cum aliis uocabulis coniungitur, ut, αὐλῶν βόμβος, *tibiarum sonus*, item, apud Lucianum, ἁρμόσασθαι τὸν αὐλὸν εἰς τὸ ἀκριβὲς, *accurate debere aptari tibias*, ne aures affligat sonus, quem, pro diuersa organi materia atque forma, multis modis uariasse, scriptores testantur (b).

§. III.

Quod ad materiam τῶν αὐλῶν, multiplicem extitisse, Pollux (c) in his scriptum reliquit: ἡ δὲ ὕλη τῶν αὐλῶν κάλαμος, ἢ χαλκὸς, ἢ πύξος, ἢ λωτὸς, ἢ κέρας, ἢ ἐστοῦν ἐλάφου, ἢ δάφνης τοῦ χαμαιζήλου κλάδος, τὴν ἐντεριώνην ἀφῃρημένος. i. e. *materia tibiarum est calamus* (d), *aut aes* (e), *aut buxus* (f), *aut lotus* (g), *aut cornu* (h), *aut*

---

a) v. Pollucis *Onomast.* L. 4. c. 9. b) v. Ioh. Rosini *Antiqv. Roman.* L. V. c. 11. p. 466. Polyd. Vergilius *Lib. I. de rerum Invent.* c. XV. p. 54. Casp. Bartholinus, elegantissimo libello, *de tibiis Veterum*, L. I. Cap. VIII. p. 104. c) l. c. (d) Ex calamo, seu arundine, primum tibias esse fabricatas omnes, autor est Plinius *Natur. Hist.* Lib. 16, c. 36, et Eustathius *Iliad. Lib.* 17. (e) Mentio fit tibiarum, ex auro, argento, ori-

aut os cerui (i), *aut lauri, humi serpentis, ramus tener, medulla exemta,*

§ IV

Diuersam tibiarum rationem diuersis formis metiendam esse, nullus facile negabit, nisi, qui tibias simplices (k) et geminas (l), breues (m) et longas (n), dextras et sinistras (o), pares et impares (p), aliasque complures, uocabulis profanis (q) distinctas,

B ignochalco, et aliis aeris generibus, apud Philostratum *Lib. II, de vita Apollinis*, et Plinium dicto l. (f) Buxeas sacris dicatas memorat Statius, *Theb. Lib.* 5, v. 94.

- - - cum sacra uocant, idaeaque suadet buxus.

(g) Lotus, arbor, in Africa solum natale habet, cuius materiae usus fuit in tibiis conficiendis, ut est apud Festum, et Plinium, qui ludicras eas appellat. (h) Tibias has inflantes ceraulae antiquitus sunt dicti. (i) Tibias gruum, et asinorum, eidem inseruiisse instituto, Plinius, dicto l. et Athenaeus *Lib. 14, Dipnos.* p. 617, memoriae prodiderunt. k) v. Horatium *de arte Poet.* v. 203.

- - - sed tenuis simplexque foramine pauco.

haec a Graecis μόναυλος est dicta. l) Quae ex duabus compositae, et ori admotae, simul inflatae sunt, quarum figuram oculis exposuit Bartholinus p. 53. c. l. hinc Virgilius, *Aeneid. Lib.* 8, v. 618,

Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

m) Pueris usitatae, ἡμίολοι, seu semiplenae, uocantur, v. Athenaeus, *Lib.* 14. n) De his Ovidius *Lib. VI, Fast.* v. 698. canit,

ut daret, effeci, tibia longa sonos.

o) Diversae, uel a manu, qua tenebantur, uel a sono, v. Bartholinus c. l. p) Aut, ab aequali, inaequaliue, spatio distantibus foraminibus, aut a uaria magnitudine, et soni modulatione. v. Scaliger *Poet. Lib. I, cap.* 20. et Rosinus *Antiquit. Rom. Lib. V, cap.* 11. q) Quales sunt Phrygiae, Tyrrhenicae, Mygdoniae, Ly-

ignorat. Vnde non potuit non ſonus alius exiſtere iucundus, alius raucus, ſtridulus, et inconditus, quod Pollux (r), Caſſiodorus (s), alii, uberius exequuntur.

§ V

Quo uero concentus, in tot diſſimilibus tibiis, dulcis aures compleret, artifices, quibus ſcienter tibiis cantandi peritia propria eſt, operam dederunt. At minime omnium a Graecis, aut Aegyptiis, aut Chaldaeis, fabricandi illa organa, iisdemque utendi, initia ſunt profecta, ſed, ſine dubitatione, trinepos Adami Iubal, artem illam ſuam fecit (t), quo uero caſu (u), quaue occaſione, certo nequit definiri. Quemadmodum autem ingenii humani natura hoc fert, ut inuentis rebus facile quid addere, et inchoata perficere posſit, ita Aegyptios, Chaldaeos, Syros, Phryges, Graecos, Romanos, reliquas gentes, artificium tibias, praecipua cum laude, adhiben-

diae, de quibus conf. Schaccius *Myrotbec. 3, cap. 57*, et Bartholinus l. c. r) *Onomaſt. Lib. 4, c. 9.* s) *Lib. 2. Epiſt. 40.* t) Diſerta leguntur uerba Gen. IV, 21. וְשֵׁם אָחִיו יוּבָל הוּא הָיָה אֲבִי כָּל־תֹּפֵשׂ כִּנּוֹר וְעוּגָב׃ *Nomen uero fratris eius erat Iubal, hic fuit pater omnis pulſantis citharam, et organum.* ubi עוּגָב, uno interpretum conſenſu, organum muſicum, *πνευματικὸν*, fiſtulis conſtans, quaſi amabile, indicat. Onkelos uertit אַבּוּבָא, id eſt, *fiſtulam, tibiam*, ex calamo confectam. u) Qui, per uentorum, uel auium, ſibilos, aut corporum, ex aere atque ferro, colliſionem, Iubali, primisque mortalium, occaſionem conſtruendarum tibiarum oblatam putant, rem probabilem, non certam, afferunt. conf. Merſennus, in *Comment. ad h. l. Geneſ.*, et Athan. Kircherus *Tom. II, Oedip. P. II*, p. 218.

hibendi, ac alias atque alias excogitandi, magnopere auxisse, habeo persuasum (x).

§ VI

Graeci nominatim hac canendi arte excelluerunt, ac summae eam sibi laudi duxerunt (y), non uiri tantum αὐληταὶ, et αὐλητῆρες, ἀπὸ τοῦ αὐλοῦ, nominati, sed etiam foeminae, quae αὐλητίδες et αὐλητρίδες (z) appellabantur.

 § VII

x) Quantopere scriptores, fabulosae inprimis antiquitatis, constituendis tibiarum, apud homines, ueri Dei ignaros, architectis, a se discrepent, ut alii Mineruam, alii Mercurium, alii Marsyam, alii Olympum, alii, alios harum principes extitisse, asserant, me tacente, docent Salmasius, *Exercit. Plin.* p. 119, et Pol. Vergilius *c. l.* y) Cornelius Nepos in *Praefat.* ita exprimit, *Cum relatum legent, quis Musicam docuerit Epaminondam, aut, in eius uirtutibus commemorari, saltasse eum commode, scienterque tibiis cantasse,* et Aristoteles, *L. 8, de Rep. c. 6. p. 114,* διὸ καὶ τὴν αὐλητικὴν, ἤγαγον πρὸς τὰς μαθήσεις. Καὶ γὰρ ἐν Λακεδαίμονι τὶς χορηγὸς. ἀυτὸς ἤυλησε τῷ χορῷ, καὶ περὶ Ἀθήνας οὕτως ἐπεχωρίασεν, ὥστε σχεδὸν οἱ πολλοὶ τῶν ἐλευθέρων μετεῖχον ἀυτῆς. i. e. *Quare et artem, tibias inflandi, ad disciplinas numerarunt, Etenim Lacedaemoni quidam* χορηγὸς (qui ludorum sumtus suppeditabat,) *ipse inflauit choro tibiam, et Athenis increbuit, ut fereplerique ingenui illa canerent.* conf. Athenaeus *Lib. 4, Dipnos.* c 25. et Plutarchus in *Lib. de Musica,* Herculem, Achillem, alios, praeclaros Musices huius cultores collaudans. z) Vnde Aristophanis Scholiastes, αὐλητρὶς δαρδανὶς ἐκ τῶν δαρδανίας αὐλητρίδες ἐυδοκιμοῦσιν, *tibicina Dardanis, quia e Dardania Tibicinae commendantur.*

§ VII

Non minus Syros huic eidem studuisse rei, ex Iuuenale (a) patet, quos Syrus ille Matthaei enarrator, ܙܡܪܐ a ܙܡܪ, *uoce*, uel *instrumentis*, *cecinit*, interpretatus est, ipsorumque mulieres, modorum tibialium eximie intelligentes, *Ambubaias*, ab אַבּוּבָא, *tibia*, nominatas, uolunt eruditi, istud Horatianum carmen (b) explicantes,

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Moestum ac sollicitum est, cantoris morte Tigelli.

§ IIX

De Romanis nemini dubium potest esse, quin tibicinum artem aestimarint magni, ut me docent scriptores Latini. Artificibus enim, si Ciceroni (c) et Ouidio (d) credendum, annumerarunt, ac collegium ex his instituerunt, (e) in quod Antigenides, Apuleio teste

---

a) *Satyr.* III. v. 62.
Iam pridem Syrus in Tyberim defluxit Orontes,
Et linguam, et mores, et cum tibicine chordas
Obliquas, nec non gentilia tympana secum
Vexit, et ad circum iussas prostare puellas.

b) *Lib. I, Serm. Satyr. 2.* addatur Suetonius *in Nerone cap.* 27,

c) *Lib. 3, de natura Deorum* ait: *Concedam, non modo animantem, et sapientem, esse mundum, sed fidicinem etiam, et tibicinem, quoniam earum quoque artium homines ex eo procreantur.*

d) *Lib. VI, Fast.* v. 657. sqq.
Temporibus ueterum tibicinis usus auorum,
Magnus, et in magno semper honore fuit.

e) Valerius Maximus *Lib. II*, cap. 5. scribit: *tibicinum quoque collegium solet, in foro, uulgi oculos in se conuertere, cum inter publicas priuatasque ferias, actiones, personis tecto capite, uariaque ueste, uelatis concentus edit.*

teste (f), fuit cooptatus. Nec tibicinum modo, quasi tibiarum cantorum, ab organo, eiusque usu (g), uerum etiam aeneatorum, atque cornicinum (h), uocabulis, nuncupati sunt.

§ IX

Quo praestantius autem musicorum illorum nomen, nec contemnenda ueteribus autoritas erat, eo maior ipsorum fuit opera in multis actibus, et tantum non necessaria. Cumprimis eorum ministerio in bello, ad animos praeliantium excitandos (i), usi sunt, referente Polybio (k), et Athenaeo (l), pari-

f) *Lib. I, in Florid. Is, cum esset in Tibicinio apprime nobilis.* g) Tibicines, a tibia, nomen habere, recte uidentur Isidoro, *Orig. Lib. II*, c. 20. p. m. 898. *Tibias appellatas putant, quod primum de ceruinis tibiis, cruribusque hinnulorum fierent, deinde, per abusionem, ita coeptas uocari etiam, quae non de cruribus, ossibusque, essent. Hinc et tibicen, quasi tibiarum cantor.* h) Pro diuersa tibiarum materia, quas modo ex aere, modo ex cornu, uti supra significaui, confectas, inflarunt. i) Musicae vim neruose describit Seneca *Epist.* 108. *Quidam ad magnificas uoces excitantur, et transeunt in affectum dicentium, alacres uultu, ac animo, nec aliter concitantur, quam solent, Phrygii tibicinis sono, semiuiri, et ex imperio furentes* k) *Lib. 4, Histor.* c. 20. Οὐδὲ τοὺς παλαιοὺς κρητῶν, καὶ λακεδαιμονίων. αὐλὸν, καὶ ῥυθμὸν, εἰς τὴν πόλεμον, ἀντὶ σάλπιγγος, εἰκῆ νομιστέον εἰσαγαγεῖν. *Neque ueteres Cretenses, et Lacedaemonios, loco tubae, tibiam, et rythmum, ad bellum, sine causa, usurpasse, est existimandum.* l) *Lib.* 14, Dipnos. c. 6. Καὶ οἱ ἀνδρειότατοι λακεδαιμόνιοι μετ' αὐλῶν στρατεύονται, κρῆτες δὲ μετὰ λύρας, μετὰ δὲ συρίγγων, καὶ αὐλῶν λυδοὶ, ὡς ἡρόδοτος ἱστορεῖ. *Fortissimi quidem Lacedaemonii cum tibia sub signis sunt: Cretenses cum lyra, cum fistulis, et tibiis Lydi, ut scribit Herodotus.*

pariter, ac in triumphis ad pompam, et gaudia publice declaranda, cuius exemplum in uictore Duillio Florus (m) proponit. In ſacris quoque, Deorum placandorum gratia, tibicines adhibebantur, quod ex Ouidio (n), Macrobio (o), Plauto (p), Statio (q), Roſinus (r), atque Bartholinus (s), pluribus perſequuntur. In nuptialibus, ac epulis ſolennibus, laetitiisque aliis, et ludricis (t), ac ſeriis, quorum genera hic percenſere, mei non eſt inſtituti, arte ſua homines reddebant hilares, ut ex Nonno (u), Vir-

m) *Lib. 2,* c. 2. *Victor apud Liparas, merſa, et fugata, hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. Cuius quod gaudium fuit? Cum Duillius Imperator, non contentus, unius diei triumpho, per uitam omnem, ubi a coena rediret, praelucere funalia, praecinere, ſibi tibias iuſſit, quaſi quotidie triumpharet.* n) *Lib. II, Faſt.* v. 658.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat moeſtis tibia funeribus.

o) *Lib. 2, in Somn.* Scip. c. 3, p. m. 122. *Ideo canere coelum, etiam Theologi comprobantes, ſonos muſicos, ſacriſiciis adhibuerunt, qui apud alios lyra, et cythara, apud nonnullos tibiis, aliiue Muſices inſtrumentis, fieri ſolebant.* p) *Aulul. Act. 2,* Sc. 5.

At nunc tibi dabitur pinguior tibicina.

q) *Theb. Lib. V,* v. 94.

- - cum ſacra uocant, idaeaque ſuadet
Buxus.

r) *in Antiquit. Rom. Lib. III,* c. 31, p. m. 317. s) *Lib. 2,* c. 7, p. 189, ſeqq. t) Quorſum comoediae, ſaltationes, ludi, et id genus alia, referuntut. v. Bartholinus, dicto l. pag. m. 213.

u) *Dionyſ. Lib. 7,*

Οἶδα μὲν, ὡς ἐρόεις πέλεται γάμος, ἧχι λιγαίνει
Πανιάδος σύριγγος ὁμόθροος ἀυλὸς Ἀθήνης.

Scio quidem, quod amabiles ſint nuptiae, ubi ſtridet
Panicae fiſtulae conſonans tibia Mineruae.

Virgilio (x), Cicerone (y), Plauto (z), reliquis; apparet.

§ X

Restat memorabilis maxime antiquitatis ritus, tibicines in funere adhibendi, cuius rationes, promissi mei haud immemor, ex instituto deinceps explicabo, oraculum secuturus diuini historici, Matthaei, qui, laudato supra loco, τοὺς αὐλητὰς in aedibus Iairi, filiae suae exequias parantis, ante oculos constituit; cuius uero gentis, num Hebraeae, an alius, more, mox disquiram.

CAPVT II

De

ORIGINE TIBICINVM IN FVNERE

§ I

QVemadmodum in cerimoniarum, quae diuinitus sunt hominibus iniunctae, non sine Christi adumbratione, origine indaganda adeo inter se dissident antiquitatum magistri, ut Io. Marshamus (a), cum

x) *Aeneid.* L. XI. v. 736:

At non in Venerem segnes, nocturnaque bella,
Aut, ubi curua choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, et plenae pocula mensae;
Hic amor, hoc studium.

y) *Tuscul. Quaest. l. 4. Grauissimus autor in originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibias, clarorum uirorum laudes atque uirtutes:* conf. Macrobius *Saturn. Lib. 3,* c. 16.

z) *Aulul. Act. 2,* Sc. 6.

STA. Quid uis? STR. hoc ut accipias cocos,
Tibicinamque, obsoniumque in nuptias.

a) *In Canone Chronico, Aegyptiaco, Ebraico, Graeco,* ad seculum IX. p. m. 189. plane sin-

cum Io. Spencero (b), ipſam praeputii amputationem, lauationem ſacram, templum, ſacerdotium, ſacrificia, ac alia cultus exterioris capita, ab Aegyptiis profane arceſſat, his uero Herm. Witſius (c), perinde ac Mart. Geierus, et Abr. Calouius, ceteri, firmis rationum momentis, obnitantur, ita in aliarum Iudaicae gentis conſuetudinum, quae religionem haud tangunt, initiis ſcrutandis, contrarias in partes mire diſtrahuntur. Exemplo eſt Matthaei locus, c. IX, com. 23, ubi de Iairi filiola, paulo ante mortua, ſermo eſt, quae, praeſentibus iam tibicinibus, efferenda erat, quantis non ritus hic difficultatibus implicatur! cum alii eum ab Hebraeis, alii a gentibus, Dei ueri cognitione haud imbutis, alii aliunde, ſumant.

§ II

Eorum, qui, ab antiquiſſimorum moribus Hebraeorum, conſuetudinem tibicinibus, in funere, utendi dimanaſſe, contendunt, praecipui ſunt Dau. Chytraeus (d), Hugo Grotius (e), Io. Doughtaeus (f), alii,

---

gularem hanc prodit ſententiam, *Aegyptii, ut πολιτεία, ita et Religione gentes ceteras praeceſſerunt; eorum ritus, ad alios populos translati, etiam ab Ebraeis, non ſine emendatione, forſan, uſurpati ſunt.* b) in Libro, *de Legibus Hebraeorum ritualibus Lib. 3.* ſparſim. c) in eruditiſſimo opere, *de Aegyptiacorum cum Hebraeis collatione.* d) in *Lib. I, de morte et vita aeterna*, p. 95. *Mos*, ait, *tibiis, et lugubribus cantilenis muſicis deflendi mortuos, a Iudaeis ad ethnicos etiam deriuatus eſt.* e) in *Annot. ad Evang.* Matth. C. IX, 23. *Puto etiam falli, qui a profanis gentibus, morem hunc ad Hebraeos putant deductum. Recte enim ab aliis demonſtratum eſt, extare in antiquiſſimis Hebraeorum ſcriptis, eius moris ueſtigia, ſicut et praeficarum*

lii, argumentis tamen, quantum ego quidem perſpicio, VVilh. Schickardo(g), Montacutio(h), atque Geiero(i), nequaquam ſatisfaciunt. Nec ipſe Grotius diffitetur, rei probandae fundamentum eſſe lubricum, licet hanc defendat, eiusque ueſtigia, in uetuſtiſſimis Iudaeorum ſcriptis, quae tamen non monſtrat, extare, perſuadere nitatur. Non enim ulla conſecutionis uis eſt, in lege ſanctiori ritu iſto non interdicitur, ergo uſurpatus eſt.

§. III.

Et, quamuis, ex Ierem. IX, 16, (k) Grotio, ex 2, Chron. XXXV, 25, (l) Dougthaeo, et ex Pſ. IX, 7, Soprani(m), magnum ſententiae pondus accedere uidea-

C

---

mentio eſt apud Ieremiam IX,17, neque uero, in lege ulla, eius rei interdictio inuenitur. f) in *Analectis Sacris* II, *Excurſ.* VIII, *ad h. l.* p. m. 12, *Inualuerat iam pridem mos eiusmodi inter Iudaeos*, 2. Chron. XXXV, 25, *nec deſitum ſuo tempore teſtatur Ioſephus Antiquit. L. 3, c. 15, quin adeo duraſſe, et adhuc inextinctum, confirmat textus.* g) in *Iure Regio Hebr. c. 6, Theor. 19, p. m. 418. ſeq.* h) *in Originibus Eccleſiaſticis* T. I, P. II, p. m. 107, n. 171. i) *cit. l.* k) Verba ita habent: כה אמר יהוה צבאות התבוננו וקראו למקוננות ותבואינה ואל־החכמות שלחו ותבואנה׃ *Sic dixit Iehova Zebaoth, attendite, et uocate lamentatrices, ut ueniant, et ad ſapientes mittite, ut ueniant.* l) Vbi haec leguntur: ויקונן ירמיהו על־יאשיהו ויאמרו כל־השרים והשרות בקינותיהם על־יאשיהו עד־היום ויתנום לחק על־ישראל והנם כתובים על־הקינות׃ *Et lamentatus eſt Ieremias ſuper Ioſiam, locutique ſunt omnes cantores, et cantatrices, in lamentis ſuis, ſuper Ioſiam, uſque ad hunc diem, poſuerunt enim in ſtatutum ſuper Iſraelem. En uero haec ſcripta ſunt in lamentis.* m) Quando in *digreſſ. II,*

uideatur, uerbis tamen diligentius perpensis, non tibicinibus, sed lamentatricibus, seu praeficis, locum ibi relinqui, facillime est iudicatu (n).

§ IV

Quod si ex Ierem. XLVIII, 36, (o) Geiero iudice, uestigium tibicinum lugubrium, uiri, quos modo nominaui, ostendissent, speciosa quidem magis fuisset interpretatio, cum חלילים *tibiarum* manifesto fiat mentio, nec tamen uicissent, quod, lugubres illas fuisse, Sa et Maldonati coniectura, ut credam, cum Geiero, mihi imperare non possum.

§ V

Assentior potius iis, qui, tibiis canendi morem hunc, a gentibus, sigillatim Phrygibus atque Lydiis, ad Hebraeos profectum, asseuerant, nominatim Ambrosio (p), ex doctoribus antiqui coetus Christiani, Mart. Chemnitio (q), Abr. Sculteto (r), Io. Steph. Menochio

---

rituum Hebr. in funere, n. 12, p. m. 479, dicit: *Non omittam, posse huic ritui aptari, quod apud Regium Psaltem habetur, de magnatibus huius seculi*, periit memoria eorum cum sonitu Psal. IX, 7. sed, accuratiori interpunctione, in ultima uoce הֵמָּה uerba ita sunt uertenda: אָבַד זִכְרָם הֵמָּה *periit, memoria eorum ipsorum*, quo argumentum Sopranis statim labefactatur.

n) Quod Schickardus ipse, qui initio horum patrocinium suscepisse uidetur, tandem loco dicto cognoscit: *at hoc uoce praestabant, non organis.* o) Verba ita leguntur, עַל־כֵּן לִבִּי לְמוֹאָב כַּחֲלִלִים יֶהֱמֶה וְלִבִּי אֶל־אַנְשֵׁי קִיר־חֶרֶשׂ כַּחֲלִלִים יֶהֱמֶה׃ *Propterea cor meum super Moabo, sicut tibiae, obscurum murmur edit, et cor meum, ob incolas Kirheres, quasi tibiae, perstrepit.* p) *Lib. IV*, in Cap. 8, *Lucae.* q) P. III, *Exam. Conc. Trid.* p. 88, et *Harmon. Euang.*

nochio (s) Io. Mich. Dilherro (t), Henr. Kippingio (u) VVilh. Schickardo (x), Mart. Geiero (y), Casp. Bartholino (z), qui Plutarchi (a), Nonni (b), Statii (c), reliquorum, autoritate, non temere utuntur.

§ VI

Graeci suos hos tales tibicines ἀυλητάς (d), τυμβάυ-

λους

Vol. I. f.1278. r) *Exercit. Euang.* L. II, c. 55. s) de *Rep. Hebr.* L. 8, c. 5. p. 773. t) *Diss. Acad.* T. I. p. m. 197. u) *Antiquit. Rom.* L. IV, c. 6, p. 525. x) *cit. l.* p. 418. ubi recte iudicat, *An etiam Siticines ueteres Hebraei adhibuerint, equidem ignoro, inquisiui curiose, sed nondum reperi ullum eius uestigium. Quid ergo sibi uult tumultus auletarum, in Euangelica historia, Matth. IX, 23, apud filiolam primatis exanimem. Videntur hoc a gentibus, quarum sub potestate fuerant, didicisse.* y) *cit. l.* z) *c. l.* a) *Lib. III, de Musica* p. m. 1136, Τοιγάρτοι Πλάτων ἐν τῷ τρίτῳ τῆς πολιτείας δυσχεραίνει, τῇ τοιαύτῃ μουσικῇ. τὴν γοῦν λύδιον, ἁρμονίαν παραιτεῖται, ἐπεὶ ὀξεῖα καὶ ἐπιτήδειος πρὸς θρῆνον ἡ καὶ τὴν πρώτην σύστασιν αὐτῆς φασί θρηνώδη τινὰ γενέσθαι. Ὄλυμπον γὰρ πρῶτον Ἀριστόξενος, ἐν τῷ πρώτῳ τῆς μουσικῆς ἐπὶ τῷ Πύθωνι φύσιν ἐπικήδειον ἀυλῆσαι λυδιστὶ. i. e. *Quare Plato III. de rep. libro uituperat hanc Musicam. Lydiam quidem harmoniam repudiat, quia stridula, et lamentis accommodata, unde, et primam eius institutionem lugubrem fuisse, dicunt. Nam Aristoxenus scribit, in primo de Musica libro, Olympum de morte Pythonis lugubre carmen tibiis cecinisse, Lydio modo.* b *Dionys. Lib. 49.*

Καὶ Κλεόχου βεβέκυνθες ὑπὸ
στόμα δίζυγες αὐλοὶ
φρικτὸν ἐμυκήσαντο Λίβυν
γόον, i. e.

Et Cleochi Berecynthes sub
ore geminae tibiae,
Horribilem mugiebant Libycum luctum.

c) *Lib. VI, Theb.* v. 122.

Tibia, cui teneros suetum deducere manes,
Lege Phrygum moesta.

d) Tibiarum in funere cantores, speciatim a Graecis,

λας (e), ἀοιδοὺς θρήνου ἐξάρχους (f), *siticines, lamentationes auspicantes*, item σοφιςὰς θρήνων (g), *artifices luctus callidos*, dictos, usurparunt, id quod ex Homero (h) inprimis edoceor, illosque tibias funebres, quas inflarunt, alia plane, ac reliquas, forma, uidelicet latiore longioreque, grauioris et tristioris sonitus causa, insigniuisse, Galenus (i), Aristoteles (k), atque Pollux (l), animaduerterunt.

§ VII

---

dici αὐλητὰς, patet ex Dionis Chrysostomi *Orat*. 49. p. m. 539, in qua haec refert, ἔφη δέ τις τῶν ὀλιγωπρότερον φιλοσόφων οὐ φαύλων, τὸν Ισμενον τοῦτο μάλιςα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς τοὺς τυμβαύλας. οὐ παντελῶς. οἷον δ' ἐν ἐμοὶ δοκεῖ, οὐ γὰρ βλάπτουσιν οὐδὲν οἱ τυμβαύλαι τοὺς νεκροὺς οὐδ' ἐνοχλοῦσι. h. e. *Dixit autem, ante haec tempora Philosophorum quidam non malus, Ismeniam ob hoc maxime indignari solitum, quod Siticines appellarentur tibicines. at nequaquam res est indignatione digna, ut mihi quidem uidetur, nihil enim mortuis detrimenti afferunt Siticines, neque illis sunt molesti.* e) Τυμβαύλης dicitur, ὁ ἐπὶ τύμβια μέλη αὐλῶν, *qui apud bustum tibiis canere solet*, qualis Eumenis pater, apud Aelianum *Var. Hist. Lib. XII, c. 43*, p. m. 227. creditur. f) in Homeri *Iliad. 24*, v. 725, ubi per ἀοιδοὺς omnes interpretes, ex Graecorum more, τοὺς αὐλητὰς funebres innui, contendunt. g) Lucianus, περὶ πένθους ita appellat, qui, ἐθρήνουν, καὶ πένθιμόν τι ὑπηύλουν, *lamentabantur*, (solum ex more) *et lugubre quoddam tibiis succinebant*. h) *cit. l.* Hectoris cadaueri, in urbem allato, adfuisse ἀοιδοὺς, *siticines*; a lamentatricibus distinctos, memorat,

- - - - - - - - τὸν μὲν ἔπειτα
Τρητοῖς ἐν λεχέεσσι θέσαν,
παρὰ δ' εἷσαν ἀοιδοὺς
θρήνων ἐξάρχους, οἵτε ςονόεσσαν ἀοιδὴν,
οἱ μὲν ἄρ' ἐθρήνεον, ἐπὶ δὲ
ςενάχοντο γυναῖκες.

h. e.

- - - - - - *hunc autem deinde*

§ VI

A Graecis mox Romani, cum illis misti commerciis, accepto ritu sic assueuerunt, ut tibicinibus istis non solum certa, siticinum uidelicet (m), ac monu-

C 3 menta-

Pensilibus in lectis posuerunt,
iuxtaque collocarunt siti
cines,
Luctus principes, hi flebile
carmen,
Hi quidem lamentabantur,
insuperque gemebant
mulieres.

i) *Lib. III*, de *Symptom. caus.* T. III, quando flatus, in uentre inferiore ortos, iisdem comparat, βομβώδης δ' εἰσὶν ἕτεροι, τοῖς ἐξ εὐρυτάτων αὐλῶν ἐοικότες, ὁποίους ἔχουσιν οἱ τυμβαύλαι καλούμενοι. διὰ μὲν τὴν ὕλην δ' ἐξ ἧς γεγόνασιν, οὐ δυναμένους ἠχεῖν καθαρόν. διὰ δὲ τὴν εὐρύτητα τῆν τοῦ πνεύματος ὁδοῦ βαρύτατα φθεγγομένους. h. e. *Alii uero sunt bombosi, bombis latissimarum tibiarum non absimiles, quales habere solent ii, qui* τυμβαύλαι (*siticines*) *nominantur, quae ob materiam, ex qua constant, purum sonum reddere non possunt, et uiae, qua spiritus transit, latitudo sonum efficit grauiorem.* k) *Lib. IV, de generat. animal.* p. m. 232, Τὸ γὰρ θερμὸν πνεῦμα, διὰ παχύτητα ποιεῖ βαρυφωνίαν, τὸ δὲ ψυχρὸν, διὰ λεπτότητα τοὐναντίον. δῆλον δὲ τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν αὐλῶν. οἱ γὰρ θερμοτέρῳ τῷ πνεύματι χρώμενοι, καὶ τοιοῦτον ποιοῦμενοι, οἷον οἱ αἰάζοντες, βαρύτερον αὐλοῦσι. i. e. *Spiritus enim calidus, crassitudine sua grauitatem efficit uocis, frigidus prae sua tenuitate contrarium facit, quod uel in tibiis patet. Qui enim calido utuntur spiritu, et talem emittunt, qualem siticines, et lamentantes, grauiorem sonum inspirant tibiis.* l) Qui, discriminis causa, addit *in Onomast.* αὐλὸν πένθιμον, θρηνητικόν. conf. Magii *Miscellan. Lib. I*, c. 13. m) Cognominis huius rationem ostendit Gellius *Lib. XX, c. 11, Nos autem in Capitonis Atteii coniectaneis inuenimus, siticines appellatos, qui apud sitos canere solitl essent, hoc est, uita functos, et sepultos, eosque habuis-*

mentariorum ceraularum (n) nomina imposuerint, uerum etiam officium ipsorum, ad exequias principum, magnorumque uirorum, et aliorum, cohonestandas, deposcerint, ac, inter eos, scriptores, praesertim Cicero(o), Suetonius(p), Xiphilinus(q), Seneca (r), T. Petronius (s), alii, collaudarint. Eo autem, luxuria temporum, excreuit tibicinium numerus, ut, ne iusta persoluentibus grauis esset, plures, quam decem, in funere, haud permitterent decemuiri (t), immo, multi morientes corpora sua, tibiarum cantu, uetuerint efferri (u).

§ VII.

se proprium genus tubae, qua canerent, a ceterorum tibicinum proprietate differens, quos Sicinistas uulgus dicit, qui rectius locuti sunt, Sicinnistas litera N geminata dixerunt. n) Quos inter tibicines numerari, Antigenides, apud Apuleium, *Florid. Lib.* I, maxime indignatur: *Is*, (Antigenides) *igitur, cum esset in tibicinio apprime nobilis, nihil se aeque laborare, et animo angi, et mente, dicebat, quam quod monumentarii ceraulae tibicines dicebantur.* o) *Lib. II,* de *Leg.* antiquum fuisse morem affirmat, cum ait, *Honoratorum uirorum laudes, in concione, memorantor, easque etiam ad cantus, ad tibicinem prosequuntor.* p) *in vita C. Iulii Caesaris,* c. 34, tibicines huius pompae funebri interfuisse, refert. q) *in uita Seueri,* ubi, in exequiis Pertinacis, tibicinum meminit, οἱ μὲν οὖν ἄλλοι, πρὸ τῆς κλίνης προῄειμεν, καὶ τίνες ἐκόπτοντο, ἑτέρων πένθιμόν τι ὑπαυλούντων. *Pars igitur nostrorum lectum anteibat, et quidam plangebant, aliis flebile carmen ad tibias canentibus.* r) *in ludo, de morte Claudii Caesaris,* p.m. 821, tibicines funebres sic affert, *Et erat omnium formosissimum, et impensa cura plenum, ut scires, Deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis aeneatorum, tanta turba, tantus conuentus, ut etiam Claudius audire posset.* s) *Satyr.* v. 269, p.m. 86. ubi morituro suadetur, ut ad tibicines, pompae funebris initium fa-

§ VIII

Non tantum uero lugubrium tibiarum, ab aliis distinctarum (x), sonus, in minorum, aut infantum, ex mente Lactantii (y), Anton. Nebrissensis (z), Servii

cientes, mittat, cum de ipso actum esset. t) Quod constat ex fragmento XII. Tabul, in *Ciceronis L. II, de Leg. Sumtum minuito, tria si uolet reicinia, et uincula purpurae, et decem tibicines adhibeto, hoc plus ne facito.* quo respexisse uidetur Ouidius *Lib. 6, Fast.* v. 660, seqq.

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat moestis tibia funeribus.
Adde, quod aedilis pompam, qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem.

u) Aemilius Lepidus, ut ex Alexandro ab Alexandro, *Lib.* III, *Gen. Dierum* c. 3, p. m. 129, cognoscere licet, decedens praecepit filiis, ut sine linteis, sine purpura, et tibicine funus sibi facerent. De Augusti Caesaris funere Dio Cassius Lib. 96, haec commemorat, ὅδε δὴ τιβέριος, καὶ ὁ δροῦσος, ὁ υἱὸς αὐτοῦ, φαιὰν τὸν ἀγοραῖον τρίβων πεποιημένην εἶχον, πῶς δὲ αὐλητῇ οὐκ ἐχρήσαντο. i. e. *Hic saue Tiberius atque Drusius filius eius, fuscam uestem, uili more factam, habebant, ubi uero tibicine non utebantur.* x) More Graecorum, aeque ac Romanorum, communi, et materia, et forma; a reliquis discrepabant, ut ex Statio *Theb. Lib. 6,* v. 120, apparet.

Cum signum luctus cornu graue mugit adunco
Tibia.

ex Sedulio, *Lib.* III,

Funereosque modos cantu lacrymante ferebant
Tibicines, plangorque frequens, confuderat aedes.

et ex Claudiano, *de raptu Proserp. Lib.* III, v. 130,

Si buxos inflare uelim, ferale gemiscunt.

conf. Magium in *Miscellan. Lib. I.* y) *in notis ad Statii cit. l.* haec affert, *Iubet religio, ut maioribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* z) Quin-

uii (a), et aliorum, sed quorumcunque in exequiis, audiebatur. Quanquam enim doctores, quos modo excitaui, Statii (b) uerbis opinionem suam confirmare uelint, non tamen illud inde colligitur, eoque minus, quo plura adultorum exempla, ex §. superiore, constant.

§ IX

Nec tibicinibus in plebeiorum, submonente Ouidio (c), at tubicinibus in potentiorum funebribus, ad Propertium (d) animaduertente Passeratio (e), proprie locus est, quandoquidem et tubicines, testimoniis Virgilii (f), Persii (g), et Ouidii (h), et tibicines,

quenn. c. 46, ad h. l. Tale apud nos, nam in funere uirorum, pulsantur campanae maiores, in puerorum uero minores. a) *Lib. V, Aeneid. Virgilii,* cui cum Lactantio conuenit. b) *Lib.* VII, *Theb.* v. 121. seqq. ita canit,

Tibia, cui teneros suetum deducere manes,
Lege Phrygum moesta. Pelopem monstrasse ferebant
Exequiale sacrum, carmenque minoribus umbris
Utile.

c) *Lib. V, Trist. Eleg.* I, v. 48,

Tibia funeribus conuenit ista meis.

d) *Lib.* II, *El.* 12, v. 20.

Nec tuba sit fati uana querela mei.

et *Lib.* IV, *Eleg.* 12, v. 10.

Sic moestae cecinere tubae, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.

e) *in notis* ad Propertii locum sentit, *tubam in funere locupletum, in pauperiorum, aut mediocrium, tibiam fuisse usitatam.* f) *Lib.* XII, *Aeneid.* v. 192, Palantis mortui apparatus funebris reperitur,

Spargitur et tellus lacrymis, sparguntur et arma,
It coelo clamorque uirum, clangorque tubarum.

At *Lib.* II, *Aeneid.* v. 313, tubam bello uindicare uidetur poeta, ubi sic canit,

nes pompae funebri summorum uirorum operam dare, Io. Kirchmannus (i) et Hier. Magius (k) persuadent. In mentem hic Plutarchi uenit, qui historiam diuitis cuiusdam mortui, tibiis cohonestati (l), iucunde recitat, nec dissentit ab iis, quae supra de Caesaribus sum commentatus (m).

§ X

Postquam igitur, Romanos sepeliendis suis adhibere tibicines consueuisse, extra controuersiam posui, haud difficile est iudicatu, eundem ritum a Romanis, accepisse Iudaeos, quippe qui, in potestatem illorum, per Pompeium, redacti, peregrinam hanc consuetudinem, ut alia, ciuitate donarunt. Quapropter τοὺς ἀυλητὰς, siue *tibicines*, quos, Matthaei c. IX, com. 23, in aedibus Iairi (n), synagogae prin-

D cipis

Exoritur clamorque uirum, clangorque tubarum.
Arma amens capio, nec sat rationis in armis.

g) *Sat.* III, v. 104. seqq. patricii sui funeri, inter alia, tubicinem simul adesse, refert,

Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit.

h) *in epist. Maedeae ad Iasonem,*

Tibiaque effundit socialia carmina nobis.
At mihi funesta flebiliora tuba.

i) *Lib.* II, de *Fun. Roman.* c. 4, p. 137, seqq. k) *Miscellan. Lib.* II, c. 12. l) *in Lib. de solertia animalium*, fabula de pica, tibiarum funebrium sonos imitante, legitur, quam uide translatam in Montacutii *Origin. Eccles.* T. I, Lib. I, p. 10-, n. 171. m) Plura inuenies apud Kirchmannum, cit. l., et Bartholinum *Lib* II, c. 15, p. 18-. n) Iairum fuisse Iudaeum, ex addito munere, quo functus est, elucet. uocatur enim a Matthaeo ἄρχων *praefectus*, a Luca expressius c. VIII, 41, ἄρχων τῆς συναγωγῆς, a Marco c. V, 38, uno uerbo ἀρχι-

cipis, mortuam ſuam filiolam lugentis, conſpicimus, ex Romanorum inſtituto apparuiſſe ibi, cum optimis interpretibus, animum induco, quem deinde morem et alii eiusdem gentis tenuerunt, ut ex Talmude (o), Maimonide (p), Fl. Ioſepho (q), aliis, ſatis

συνάγωγος. Huius erat, ut congreſſibus ſacris, quibus ſcriptura diuina, ſingulis diebus diuino cultui conſecratis, praelegebatur et explicabatur, leuioresque controuerſiae componebantur, praeeſſet, atque curaret, ne quid detrimenti religio caperet, id quod nemini, niſi germano Iudaeo, poterat committi.

o) *Chetubb. cap. 4, in Miſna* haec leguntur: אפילו עני שבישראל לא יפחות משני חלילים ומקוננת *Etiam pauperrimus inter Iſraelitas non adhibebit pauciores, quam duas tibias, et unam foeminam lamentatricem*, (in funere ſcilicet uxoris ſuae, in captiuitate mortuae.) *Baua Mezia, cap. 6, ab initio in Miſna* החמור ואת הקרר להביא פריופרין וחלילין לכלה או למת : *Qui conducit aſinum, et aurigam ad adducendum ligna praeſtantia, et tibias ad ſponſam*, (exhilarandam) *aut ad mortuum.* (plangendum) Quae R. Salomo ad *Ezech.* XXV, 6, hunc in modum enarrat, יש רברים שעושין אותם לאבל ולשמחה אבל אין ענינים שוה וכן הלילין לכלה ולמת : *Sunt quaedam res, quibus utuntur ad luctum, et ad gaudium, ſed non eſt par earum ratio, ſic tibiae adhibentur in nuptiis, et in funeribus.* Et in *Schabbas cap. 23, hal. 4,* עא שהביא הלילין בשבת לא יספוד בהן ישראל : *Si cultor idolorum* (per quem Chriſtianos intelligunt) *afferat tibias in ſabbatho, non planget illis Iſraelita.* conf. Io. Buxtorfi *Lexicon Chald. Talmud Rabbinicum* ſub uoce חליל p. m. 766. p) *in operum T. II,* אישות *cap.* 14, *hal.* 23, ubi priorem Talmudis locum ita explicat, מתה אשתו חייב בקבורתה ולעשות לה מספר וקינים כדרך כל המרינה.

tis constat. Nec adeo est, cur, cum Casp. Bartholino (r), Io. Nicolai (s), et Ad. Erdm. Miro (t), dubitem, utrum ab Hebraeis ad nationes, ueri Numinis notitia minus tinctas, an ab his ad illos fuerit traducta haec consuetudo.

CAPVT III
De
Rationibus, cur Tibicines in funere sint adhibiti

§ I

Tibicinum, qui agmen efferentium filiolam Iairi ducere debebant, origine nunc perspecta, planeque cognita, paucis *rationes*, cur tum tibiis canentes admitterentur, inquiram, licet non ignorem, cum diuersis maxime sententiis mihi pugnandum esse.

§ II

ואפילו עני שבישראל לא יפחתו לו משני חלילין ומקוננת. *Mortuam maritam tenetur maritus sepelire, et lamenta, atque luctus ei facere, secundum morem omnium regionum. Atque etiam pauperrimus inter Israelitas praebebit ei non minus, quam duas tibias, et unam lamentraticem.* q) *Lib.* III, *de Bello Iud. cap.* 15, p. 855, Iosephi, Ioppe capta, occisi funus, tibicinibus non caruisse, scribit, Τὸν Ἰόσηπον δὲ πάντες, ὡς ἐπὶ τριακοστὴν μὲν ἡμέρας μὴ διαλιπεῖν τὰς ὀλοφύρσεις ἐν τῇ πόλει. Πλείστους δὲ μισθοῦσθαι τοὺς αὐλητὰς, οἳ θρήνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. h. e. *Iosephum uero uniuersi, adeo, ut per dies 30 nunquam lamenta in ciuitate cessarent, magnaque mercede conducerent tibicines, qui luctus et neniarum modos ipsis praeirent.* r) *dicto l.* s) *libro de luctu Graecorum Cap.* IX, p. 102, t) *Bibl. Antiquit. Lex.* p. 900.

§ II

Theophylactus (a), propterea, quod puellae impuberis, cum uiueret, nuptias, musici illi cohonestare non potuerunt, eos mortuae honorem hunc habuisse, existimat, ratione quidem, pro eo, ac recte Casaubono (b) uidetur, inani ac superuacanea, quam ea, quae, superiori sectione, de communi ritu, ad cunctos, adeoque nuptas, innuptasue, pertinente, dicta sunt, facile refellunt.

§ III

Macrobius (c), et Alexander ab Alexandro (d), fundamentum illius moris in dulcedine Musices ponunt, quasi, corpore extincto, anima in coelum, unde orta sit, sic rediret, eoque ad philosophos, inprimis e schola Platonis, qui, de concentu Musico sphaerarum coelestium, mira commenti sunt, temere respexisse uidentur.(e)

§ IV

---

a) *in notis ad h. l.* ἐπειδὴ ἄγαμος ἦν μετὰ τῶν γαμικῶν αὐλῶν ἐθρῆνουν, h. e. *quia non dum nupta erat, deflebant etiam nuptialibus tibiis.* b) *in Exercit. ad h. l.* c) *in Somn. Scip. Lib.* II, *cap.* 3, p. 121, ita loquitur, *Mortuos quoque ad sepulturam prosequi oportere cum cantu, plurimarum gentium uel regionum, instituta sanxerunt, persuasione hac, qua post corpus animae ad originem dulcedinis Musicae, i. e. ad coelum, redire creduntur.* d) *Lib.* III, *Gen. Dierum cap,* 7, p. 129. *Lecto igitur constrato purpura aut linteis splendentibus, et in eo defuncti corpore locato, post ultimam conclamationem, tibicine praecedente, qui neniam funebrem, qui laudes defuncti, et facta, recensebat, tum pudorem, integritatem et fidem, non saltabundus, ut olim, sed stans Phrygio modulo caneret, funus praecedebat. Is enim modus erat ad moerorem accommodatior, quod ideo institutum ferunt, quasi in illas aeternas amoenitates, ac in sedes et consilia piorum post funera recepti uideantur.* e)

§ IV

Nihilo grauior eſt cauſa, qua Alexander Aphrodiſeus (f), Polyd. Vergilius (g), et Sextus Empiricus (h), utuntur, rati, id genus tibiarum ad animos, qui deſiderio ſuorum atque dolore ſunt deiecti, excitandos, tantummodo ſpectare, cum perpendere ipſos oportuiſſet, ex harum tibiarum forma iuxta, ac materia, quarum altera latior, altera craſſior deprehendebatur, non purum atque iucundum, ſed grauem et triſtem ſonum, et ex hoc, ad aures perueniente, animorum motum magis ad triſtitiam, quam ad laetitiam, exiſtere (i).

§ V

Omnium optime ſentiunt Ambroſius (k), Eraſmus

 Schmi-

conf. Barth. Meieri *Philol. S. P.* I, *Cap.* 6, p. 226. f) *Lib.* I, *Probl.* 28. g) *Lib.* VI, *c.* 10. *de rerum Inuent.* p. m. 444, ait, *in funeribus tibiae quoque ac tympana adhibebantur, et ea omnia, ut hominum, mortuos lugentium animi languentes, eiusmodi ſono excitati, minus dolorem ſentirent, qui illis oblectamentis facile diſtrahi ſoleant.* h) *Lib.* VI, *adu. Mathemat.* *Unde etiam lugentibus modos canunt tibiae, quae iis luctum leuant.* i) A tibiis enim laetitiae ſignum dantibus ueteres, ſuorum obitum lamentantes, abſtinuiſſe, ex Euripide *in Alceſt.* intelligitur,

Αυλῶν δὲ μὴ κατ' ἄϛυ, μὴ λύρα κτύπος
Ἔϛω, σελήνας δώδεκ' ἐκπληρομένας,
Οὐ γάρ τιν ἄλλον φίλτερον θάψω νεκρόν.

Tibiarum uero ne per urbem, neque lyrae ſtrepitus
Sit duodecim integris menſibus,
Non enim ullum aliud charius cadauer ſepeliam.

k) *Comment. ad h. l. Tibicines in funere conducti, triſte modulantes carmen, et nenias, amicis et uicinis, luctum et lacrymas, ciebant, ob mortem defuncti, idque faciebant, non tantum uiri, ſed et foeminae lamentatrices.*

Schmidius (l), Paſchaſius Ratbertus (m), alii, qui, maxime tibicinum arte lugubri, animos torpentes ad lamenta, per faucum illum triſtemque tibiarum ac neniarum cantum, commoueri, arbitrantur, eo tamen falluntur, quod, uel ſine illis, homines, ad amici, aut neceſſarii, aut uicini, mortem deplorandam, naturali impelluntur inſtinctu.

§ VI

Non errare mihi omnino uideor, ſi potiſſimam (n), ac ualde probabilem, ritus noſtri rationem, ab hodierno campanarum uſu repetam, dicamque, tantum illum huic reſpondere, quantum unus utriusque fere eſt effectus. Quemadmodum enim, apud nos, campanarum ſonitu, exciti homines, ad funeris deductionem concurrunt, idque animis, ad triſtitiam compoſitis, monumentum uerſus, proſequuntur, ita tum, lugubrium tibiarum cantu, quo aedes mortui perſonabant, exequiatores, et alii ſpectatores in luctum uocabantur, et quaſi conuocabantur. Quod haud obſcure Matthaeus indicat, ubi cum τοῖς αὐλητᾶς, id eſt, tibicinibus, ſtatim τὸν ὄχλον θορυβούμενον, *populum tumultuantem*, ſiue, ut Beza uertit, *frequentem, et ad funeris pompam concurrentem*, coniungit, ac ita accipi uelle uidetur, ut credam, primos, in domo Iairi, conueniſſe tibicines, mox, edito ab his ſigno, turmatim eo alios confluxiſſe.

§ VII

Contra ea Chemnitius (o), Bartholinus (p), reliqui, τὸν ὄχλον θορυβούμενον, ad praeficas (q) deplorandi, et laudandi mor-

l) *in Declaratione N. T. ad h. l. p. 171, Erant olim Iudaeis, maxime circa tempora Chriſti, in luctu funebri, tibicines in uſu, qui μοναυλίᾳ, ſeu unius tibiae triſti cantu, hominum, ad funus conuenientium, animos ad moerorem, et lacrymas commouerent.* m) *in not. ad h. l.* n) Plures equidem coniecturas, in Kirchmanni *Lib. II, de funere Roman.* C. 4, p. m. 135, in iisque hanc, quod forte ſpectra huiusmodi cantibus uoluerint abigere, et in Schickardo, *dicto l.* quod cantus ille, nec ui ferri, nec clandeſtinis ueneni inſidiis, aliquem mortuum fuiſſe, indicio fuerit, reperias, ſed, cum nulla ueterum autoritate nitantur, ipſas omittam. o) *in Harmon. Euangel. T. I.* p) *cit. l.* q) Originem huius ue-

mortui causa, quod nenias Romani appellabant (r), conductas, referunt. Quamuis equidem non negem, istiusmodi mulieres, et Hebraeis ueteribus (s) perinde, ac recentioribus (t), Graecis item (u), Romanis (x), coniunctissimas fuisse usu,

---

cis ostendit Festus Pompeius *Lib. 20, praeficae dicuntur, mulieres ad lamentandum conductae, quare dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum praefectae.* r) Cantus lugubres antiqui Romani nenias appellarunt, unde Festus nominato l. *Nenia est carmen, quod in funere landandi gratia, cantatur ad tibiam,* et Diomedes Grammaticus, *Apud Romanos id carmen, quod, cum lamentatione, extremum atque ultimum mortuo canitur, nenia dicitur.* s) Tales nominantur Ierem. IX, 16, המקוננות *lamentatrices,* v. 17, החכמות *eruditae, sapientes,* speciatim artificio lamentationes, sine tibiis, faciendi, ciendi, quemadmodum mulier illa Thekoa, a Ioabo ad plangendum conducta fuit, et 2. Paralip. XXXV, 25, השרות בקינות, *cantatrices lamentorum,* super Iosia, quarum carmina passim in diuino codice occurrunt. t) Harum meminit Maimonides *Hilch. Ebhel. cap.* 12, §. 1, ההספד כבוד המת הוא לפיכך כופין את היורשין ליתן שכר מקוננים והמקוננות וסופדין אותו ואם צוה שלא וספדוהו אין סופדין אותו. אבל אם צוה שלא יקבר אין שומעין לו. שהקבורה מצוה שנאמר כי קבור הקברנו: *Planctus de mortuo est honorificus, quapropter adiguntur heredes, ut mercedem soluant lamentatoribus, et lamentatricibus, plangantque ipsum. Et si praeceperit, ne ipsum plangant, planctum quoque intermittunt. Verum, si praeceperit* (moribundus) *ne se sepeliant, non obediunt ipsi, eo quod mandato iniuncta sit sepultura, quando* (Deut. XXI, 23,) *dicitur, sepeliendo, sepelias ipsum.* u) Carmen enim, a praeficis, apud Graecos, cantatum, dicitur ὀλοφυρμὸς, teste Athenaeo *Lib.* 14, *Dipnos. c.* 3, p. 19. Ἡ δ' ἐπὶ τοῖς θανάτοις καὶ λώπαις ᾠδὴ, ὀλοφυρμὸς καλεῖται. *Funebres, et quae in aduersis rebus, ac molestiis canuntur, lamentationes, et questum uocant.* Et ἰάλεμος, uti ex eodem constat *cit. l.* Ἀριστοφάνης δ' ἐν Ἀττικαῖς φήσι λέξεσιν ἱμαῖος ᾠδὴ μυλωθρῶν, ἐν δὲ γάμοις ὑμέναιος, ἐν δὲ πένθεσιν ἰάλεμος, i. e. *Aristophanes in Atticis dictionibus scribit, Hinaeam cantionem esse molitorum, Hymenaeum nuptialem, lugubrem Ialemon.* conf. Euripides *in Troad. Act.* 3, ubi haec leguntur,

> Οἷος, ἰάλεμος, οἷα τε πένθη,
> Δακρύα τ' ἐκ δακρύων καταλείβεται
> Ἡμετέροισι δόμοισι. i. e.
> *Qualis planctus, qualisque luctus,*
> *Lacrymaeque manant ex lacrymis*
> *Nostris aedibus.*

x) Quod confirmat Lucilius *Sat.* 22,

- - - - - - *mercede quae*

usu, easdem tamen, duabus illis uocibus Graecis designari, Erasmi Schmidii(y), et Mart. Geieri(z) uestigiis, dubito uehementer.

§ IIX

Θορυβεῖν, neque in sacris, neque in profanis scriptoribus, de tali, qualis praeficarum est, lamentatione, usurpatur, sed ubicunque harum fit mentio, θρηνοῦσαι(a), εἰδότες θρήνων(b), θρηνήτρια(c), θρηνῳδεῖς(d), nunquam ὄχλος θορυβούμενος, nominantur.

§ IX

Vis τοῦ θορυβεῖν tanta est, ut praeficarum longe superet luctum atque planctum, cuius non tantum monumenta diuinitus exarata (e), uerum etiam profana (f), locis circiter innumerabilibus, me certiorem faciunt, confirmantque, τὸν ὄχλον θορυβούμενον hic ad cognatos et finitimos, clangore tibiarum funebrium, ad exequias parandas, in domo Iairi conuenientes, obstrepentesque negotiis, satis commode, apteque accommodari posse.

§ X

Tandem illis, quae de αὐληταῖς, seu *tibicinibus in funere adhibitis*, pro ingenii et temporis ratione, meditari cum animo statutum habui, ad finem perductis, infimas summo Numini gratias persolvo, meque beneuoli lectoris fauori commendo.

Conductae flent, alieno in funere, praeficae.
Multo et capillos scindunt, et clamant magis.
Plautus *in Trucul. Lib.* 2, *Sc.* 6, v. 14,
Sine uirtute argutum ciuem habeam pro praefica,
Quae alios collaudat, eapse se uero non potest.
Cicero *cit. l.*, Horatius, alii. y) *in Annotat. ad h. l.* p. 171, per ὄχλον θορυβούμενον cognatos et domesticos intelligit, quorum alii lauando cadauere, alii eodem induendo, alii funere adornando, alii aliis apparandis, satagendo occupati fuerunt. z) *dicto l.* p. 54, cum Schmidio consentit. a) *Ier.* IX, 16. in LXX. Interpretum conuersione. b) *Amos* V, 16, et 2. *Sam.* XIV, 2. c) apud Theophylactum *Epist.* 12. d) apud Herodianum. e) *Matt.* XXVI, 5, *Marc.* V, 38, XIV, 2, *Act.* XVII, 5, XXIV, 18. *Nahum* II, 3, *Iud.* III, 26, ubi τὸ θορυβεῖν tumultum ac strepitum magnum, uel factum, uel impeditum, notat. f) conf. Scapulae *Lex. Graeco-Lat.* sub uoce θόρυβος.

(o)